UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Pavimento. Cap. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Visual Library

cenſu, id exædificari non poteſt; porticus ſaltem à fronte itidem exſtruenda curetur.

Quæ porticus columnis marmoreis, aut pilis lapideis latericijſve erecta, longitudine omnino eccleſiæ latitudinem adæquet.

Lata autem, atque alta ita eſſe debet, vt longitudinis ſuę rationi rectè conueniẽterq; reſpondeat.

Hac forma in vnaquaque eccleſia parochiali porticum extare cōueniens erit.

Si per inopiam ne id quidem præſtari poteſt; ſaltem prorſus curetur, vt ante ianuam maiorem veſtibulū eiuſmodi exſtruatur, quod duabus tantùm columnis vel pilis aliquantulum ab ea diſtātibus exædificatum, forma quadrata ſit: tantumq; ſpatij habeat, vt paulò latius quā eccleſię ianua pateat.

DE TECTO. Cap. V.

ET quoniam tecti magna eſt habenda ratio, propterea quòd omne ædificium tueatur: ſi quidem eo ſublato, aut malè confecto, putreſcit materies, labaſcunt parietes, omniſq; ſenſim diſſoluitur ſtructura; certè in eccleſia tegenda, quæ ſacris imaginibus, omniq; pio ornatu, & religioſo apparatu, ad perpetuitatem exſtruitur, diligens ac ſingularis induſtria requiritur architecti.

Qui quamcunque tecti, vel diſpluuiati, vel teſtudinati, vel laqueati formā, pro ædificij ratione delegerit; videat in primis, vt & materia lignea fabrilis, nempè tigna, canterij, templa, aſſeres, & alia id generis, ex quibus illud conſtat, & cōtignatio omnis benè firma ſit.

Tegendi autem tecti ratio, cum & pro regionum vſu, & pro ędificiorum modo diuerſa ſit; ipſe viderit, quæ eccleſiæ exſtructioni ſit accommodatior.

In eccleſiarum autem, quæ inſigni ſtructura exædificātur, & amplo cenſu ſunt, tectis operiēdis, tegulas, ſi minus æreas, vt olim, at ſaltem plumbeas adhiberi conueniet.

Laqueata tecta in eccleſijs conſtrui, cū baſilicarum quarundam Romanarum vſus docet; tum myſterij ſignificatio ſuadet: fornicata tamen fieri non alienum erit pro locorum conſuetudine, quò tutiora ab incendio ædificia ſint; qualia ſanè fornicato opere tecta in baſilicis vrbis & prouinciæ Mediolanenſis inſignibus atque antiquis cernuntur.

Cautio verò in eo adhibenda erit, vt tecti proiectura eiuſmodi fiat, qua ſtillicidia ab imis parietibus arceantur, proculve ſint; idq; aptè ac decenter, prout certo ſtructuræ opere poteſt, fieri architecti cura erit.

Ne item ſuggrundijs ob ſtillationē diuturnam detrimentum parietes aliquando capiant; eorum fundamenta, vbi primùm è terra extare incipiunt, pauimentis lithoſtratis benè conſolidatis, ſuggrunda latius aliquantò productis ſternantur: tum verò terra congeſta inde procul perpetuò amota ſit.

Ne præterea iidem poſſint per pluuiam ſtillicidiis penetrari, ſi fortaſſe aliquando tegulæ, imbriceſve corrupti fuerint; in illorum ſummitate, quæ tecti trabibus ſubiacebit, ſtructura loricave teſtacea cum coronis prominentibus adhibeatur, quæ tecti etiam proiecturam adiuuabit.

DE PAVIMENTO. Cap. VI.

ATque hactenus quidem de tecto; nunc ſequitur pauimentum: quod in eccleſia non ſpicatum, nō è laterculis coctilibus, non alio latericio opere, niſi vitriato ſit; ſed in inſigni ſaltem eccleſia, cappelliſq; maioribus, & alijs præclaræ ſtructuræ, marmore, aliove ſolido lapide ſtratum ſit, opere item teſſellato, aut ſcutulato politè confecto, aut muſiuo item.

In alijs verò eccleſijs & capellis, vbi hoc non poteſt, ſilicibus expolitis, vel opere teſtaceo confectum.

In pauimēto, quale quale illud ſit, neq; pictura neq; ſculptura crux exprimatur; nec verò præterea alia ſacra imago, hiſtoriave, ac ne alia item, quæ ſacri myſterij typum gerat.

DE OSTIIS. Cap. VII.

DE oſtijs, & antepagmentis ſacrarū ædium multa à ſapientibus archi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN